



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

6. De varijs filiorum naturalium generib.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

donatione inter viuos dimittere. Vnde si tertia, vel quinta pars, vi huiusmodi legum certo in fundo, etiam loco alimentorum assignetur, & constituitur, ad hæredes eius, qui aluntur, transit, quia huiusmodi alimenta succedunt loco legitimæ portionis inter filios amplioris, & plenioris. Idem iuris est de eo, qui iure etiam specialiter, aut consuetudine alicubi recepta primigenia instituit, hoc est, iura primi, & maximi natu filii, eaque in certis fundis, vel annuis redditibus constituit: sine dubio enim res illæ transeunt ad hæredes filii primogeniti vita iam functi.

### C A P. VI.

#### De variis filiorum naturalium generibus.

**P**rimo queritur, Quot sint filiorum genera? Glossa in c. liberi, trigesima secunda, questione quarta, & in cap. tanta in verbo, Repellendus, Qui filii sint legitimi, & cap. Nisi cum pridem §. Personæ, in verbo Manzeres de renunciatione, j enumerat quatuor genera filiorum. Quidam enim filii sunt naturales, alii legitimi, alii naturales & legitimi, alii vero spurii, Glossa in auctore. *Quibus modis naturæ efficiantur sui, in §. Palam, recenset sic: Filii, aut sunt naturales, & legitimi, aut naturales tantum, aut nec legitimi, nec naturales, aut legitimi tantum.* Syluester, verbo *Filii, numer. 1.* docet esse tria genera filiorum: alii sunt naturales, & non legitimi, quos Glossa naturales, tantum appellauit. Alii legitimi, & non naturales, quos Glossa legitimos quodammodo vocauit: alii legitimi, & naturales eum Glossa. Intermissit Syluester quartum genus filiorum, spurios nempe, quia spurii, ut postea dicam, etiam naturales aliquo modo dicuntur, si latius filios naturales sumamus, nimirum eos, qui generatione quidem filii sunt, sed extra legitimam coniugium nati. At Glossa pressius, & strictius filios naturales accepit, videlicet eos, qui geniti sunt ex complexu viri, & femine, quem lex humana pœna vlla non damnat, spurios vero vocauit eos, qui sunt procreati ex concubitu viri, & femine humanis legibus damnato.

Naturales igitur filii, & non legitimi dicuntur, qui sunt generatione quidem filii, non tamen ex legitimo coniugio nati: quia natura hic eadem est, quæ generatio, & ideo naturalis est filius, qui generatione extra matrimonium susceptus est.

Legitimi, & non naturales filii sunt, qui generatione quidem filii non sunt, sed legum præscripto filii censentur, quales habentur, qui sunt adoptione filii. Legitimi, & naturales filii sunt, qui ex legitimo matrimonio procreantur. Nunc de naturalibus, postea de spuriiis, & legitimis, & aliis disputabo.

Secundo queritur, Quot sint genera filiorum naturalium, qui legitimi non sunt? Respondeo, duo esse genera: aut enim sunt nati ex congressu viri & femine nulla legis, & iuris scripti, siue humani pœna damnato. Aut sunt naturales simul, & spurii, hoc est geniti, ex complexu viri, & femine certa humanarum legum pœna condemnato: & hi filii dicuntur spurii, non naturales: quos quarto loco recensuit Glossa. Inde fit, vt filii naturales latius sumpti spurios comprehendant, qui sunt filii generatione quidem, sed non ex legitimo coniugio progeniti. Pressius vero & strictius filii naturales accepti spurios excludunt, qui ex concubitu humanis legibus, & pœnis damnato generantur.

Tertio queritur, Quare sit dictus filius naturalis? Respondeo, cum Isidoro libro 5. *Etymologiarum c. 5. ut habetur in capite ultimo, 32. q. 4.* quia eos sola natura genuerit, non honestas coniugii hoc est, solus congressus viri, & femine, qui est hominum cum bellis communis. Naturam enim Canones, & leges in hac parte vocant, non quidem

ius naturale, vel diuinum (hoc enim iure, congressus viri, & femine damnatur, ex quo filii naturales generantur, cum sint extra legitimam coniugium nati, sed ipsum viri, & femine complexum, quatenus ex eo proles generatur: Iuriconsulti naturalem appellant, & naturales filios, quasi natura genitos, & à iure iplo ciuili, nec receptos, nec reiectos, id est, nec probatos, nec damnatos.

Quarto queritur, Quot modis filius naturalis accipitur in iure? Respondeo, tribus modis; Primo, latissime, vt distinguitur à filio adoptiuo, in titulo, digesti, & institutione, de Adoptione: & hoc modo naturales filii dicuntur etiam ii, qui sunt spurii.

Secundo modo accipitur in iure Pontificio, siue Canonico, pro eo, qui natus est, ex parentibus omni vinculo solutus: hoc est, inter quos eo tempore, quo conceptus, vel natus filius est, matrimonium esse poterat. cap. *Innotuit, de Electione, cap. Tanta, qui filii sint legitimi.*

Tertio modo filius naturalis sumitur in iure ciuili pro eo, qui generatus est ex vnicâ concubina, eaque domi retenta, cum qua vir tempore concepti, vel nati filii matrimonium ratum, & fitum contrahere poterat, Authentica. *Quibus modis naturales efficiantur sui, §. si quis autem defunctus.* Glossa in cap. per venerabilem, verbo, *Naturalibus, Qui filii sint legitimi, Bartolus in l. in concubinis: Speculator in titulo, De successione, ab intestato, vbi dicit, tria requiri in filiis naturalibus. Primo, vt sint nati ex parentibus solutis, inter quos tempore concepti, vel nati filii potuerit matrimonium consistere. Secundo vt sint nati ex concubina. Tertio, vt concubina sit vnicâ, & domi habitata, vt vxor. Vnde hodie nulli sunt huiusmodi filii naturales; quia olim concubinatum leges, & iura ciuilia permittent, Canonica vero lex, siue pontificia minime permittit: Vnde Panormitanus in c. Tanta, qui filii sint legitimi dicit: *Potius sauendum est filius natus ex compl. x. viri, & femina, siue concubinato, quam natus ex concubina domi retenta: nec est aquirati, & rationi consentaneum, vt filius genitus ex concubina domi retenta naturalis sit, & habeatur, & talis non sit, & habeatur, & talis non sit natus ex congressu spurio, videlicet, ex femina non habitata domi tanquam concubina.**

Ex his perspicitur, aliter secundum ius Pontificium dici filium naturalem, aliter vero secundum ius ciuile. Nam iure ciuili constat, filium per vim, vel sine vi conceptum ex virgine, vel vidua honestâ, vel nobilibus conditionis, vel ex coorto, vel concubina aliena, vel ex domina, & proprio seruo, naturalem non esse, sed spurium: & tamen secundum ius Pontificium patet esse naturalem, quia quo tempore conceptus, vel natus est, poterat inter parentes matrimonium esse.

Quares verum iuris Pontificii potius, quam ciuilibis, in hac parte ratio habeatur? Respondeo, cum Abbate in cap. *Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, & Baldo in consilio 129 in secundo volumine, Aymone in consilio 166.* quos citat Couarruias in *Epitome de Matrimonio, parte secunda, capite octauo, §. quarto, num. 3.* vbi ait consuetudine vbique esse ius Pontificium receptum, vnde filius naturalis censetur, qui procreatur ex his parentibus inter quos nuptiæ subsistere poterant, eo tempore, quo conceptus, vel natus est, quamuis non ex vnicâ concubina domi retenta. Item, vbique fere statuta ciuilitatum, & populorum, & leges, ac constitutiones Principum filios naturales accipiunt secundum ius Pontificium, non autem ciuile.

Quinto queritur, An sit filius naturalis, quod attinet ad ius succedendi in bonis maternis, is qui generatus est ex patre in sacris Ordinibus constituto, & femina soluta? Matthæus ab Afflicis, teste Couarruias in *epitome parte secunda, capite octauo, §. 4. numero decimo septimo*, sentit esse naturalem, & proinde matri succedere: Quia nulla, inquit, pœna legis huiusmodi congressus puniuntur. Pœnam legis intellexit ille, pœnam ciuili lege constitutam. Sed verius est, quod dicit Couarruias loco citato, non esse naturalem

filium

filium, sed ex damnato complexu genitum: quoniam sacris Canonibus in talem prolem pœna constituta est. Nam in Concilio Toletano nono, *capit. decimo*, & *habetur in capitulo*, cum multa, decima quinta, *quæstion. 8.* filius natus ex clerico, & femina libera sub specie matrimonij scienter contracti, efficitur seruus Ecclesiæ: quamuis *vt in eo capitulo*, testatur Glossa per delucudinem ille Canon iam euauerit. Item concubitus ille, adulterinus vocaturà Glossa *in capitulo*, Per venerabilem, qui filii sint legitimi, in verbo (*Adulterinus*) ubi Panormitanus n. 32. hanc copulam dicit esse damnatam.

Accedit quod inter parentes matrimonium esse non poterat, quo tempore conceptus, vel natus filius est. Ex quo fit, vt hic filius nequeat matri succedere, quamuis sit coniugij, voti, alteriusque vinculi lege soluta. At vero filius ex clerico minoribus Ordinibus initiato, etiam beneficium Ecclesiasticum habente, & femina omni vinculo soluta, naturalis est secundum ius Pontificium, & matri succedit vt ait Couar. loco citato.

Sexto queritur, An sit filius naturalis, quod atinet ad successiōnem, in bonis parentum præsertim maternis, qui generatus est, ex patre soluto quidem, sed rem etiam sine vi habente cum virgine, infimæ quidem fortis, sed honestæ conditionis: Ioannes Baptista, Angelus, & Aretinus vt Couarruias, quem supra nominavi loco, testatur, simpliciter dicunt complexum viri cum virgine, vel vidua esse legibus damnatum; & ideo filium ex complexu natum non esse filium naturalem quam opinionem locum tantummodo habere, cum virgo, aut vidua est non vilis, & infima: sentiunt Baldus, Socinus, & Aimon, teste Couarruias in loco proximo dicto *num. 17.* & ita negant esse naturalem filium genitum ex patre soluto, & virgine, vel vidua sine vi cognita, modo ea sic illustris, aut nobilis, quia stuprum cum huiusmodi virgine, vel vidua, pœna legis puniatur *Inter liberas*, & *l. si uxor ff. ad legem Iulianam de Adulter. Insist. de publicis iudic. §. 2.* Sed stuprum commissum cum vilibus, siue virginibus, siue viduis, pœna legis non damnatur, *l. que adulterium. C. ad legem Iulianam de Adul.*

Couarruias tamen dicit, stuprum perpetratum cum quauis virgine, vel vidua, infimæ quidem fortis, sed honestæ conditionis & vitæ, legibus puniri. Proferentia Couarruiæ facit, quia Institutione de publicis iudiciis, *paragraphe Item lex Iulia*, aperte dicitur: *Sed eadem lege Iulia etiam stuprum flagitium puniatur, cum quis sine vi vel virginem, vel viduam honeste uiuentem stuprauerit.* At Baldi sententia fauet, quod habetur in *l. qua adulter. citata*, congressum cum domina caupone, esse punibilem, sed non cum ministra caupone, quam vitæ vilitas à legis pœna excludit. Ex proinde Baldus dicit, euenienter legibus filium susceptum ex virgine, vel vidua per stuprum, naturalem esse secundum ius civile, vt potè minime ex damnato congressu natum.

Septimo queritur, An sit filius naturalis, ita vt possit matri succedere, qui genitus est ex parentibus solutis quidem vinculo matrimonij, sed quorum vterque, vel alteruter est voto simplici castitatis adstrictus.

Hanc quæstionem apud auctores, non legi. Molina. *tom. primo de iust. tractat. secundo disputatiōne 167. post conclusionem quartam*, & *versiculum, licet in conclusionem*, obiter, vt rem certam ponit, huiusmodi filium esse naturalem: & iure communi matri in ipsius bonis succedere. Sic vt audiui aliquando nonnulli arbitrati sunt, filium naturalem esse, & secundum ius Civile, & secundum ius Pontificiū. Secundum leges quidem quia hic viri, & femine complexus nulla legis pœna puniatur. Item quia inter huiusmodi parentes, tempore concepti, vel nati filii, si matrimonium contraheretur, valeret. Et secundum Canones, quia simplex votum castitatis impedit quidem matrimonium contrahendum, sed non dirimit iam contractum. Item quia talis filius fieret legitimus, si parentes matrimonium contraherent cum legitima dispensatione.

Alij tamen, vt etiam audiui, negarunt filium esse naturalem, saltem secundum ius Canonicum: quia parentes

voto castitatis adstricti, quo tempore conceptus, vel natus est filius, contrahere matrimonium non poterant, absque dispensatione legitima, & relaxatione voti. Non enim requiritur, vt tempore, quo vel conceptus, vel natus est filius, sit inter parentes impedimentum dirimens matrimonium: sufficit, si votum castitatis Deo factum sit, quod matrimonium contrahendum impedit. Tum etiam quia est natus filius ex sacrilegi viri, & femine congressu: vtraque tamen sententia videtur probabilis.

Magis mihi secunda sententia placet, etiam quatenus sermo tantum est de successiōne filiorum naturalium in bonis parentum: quoniam talis viri & femine congressus sacrilegus est, & sufficit si parentes, quo tempore, vel conceptus, vel natus est filius, matrimonio coniungi nequeant absque peccato.

Octavo queritur, an sit legitima proles, quæ suscepta est ex parentibus matrimonij quidem vinculo adstrictis, sed quorum vterque, vel ante, vel post contractum matrimonium, se se Deo voto simplici castitatis obstrinxit? Angelus, in verbo *matrimonium tertio impedimento quinto, numero quinto* ait eam prolem non esse legitimam, quamuis ex matrimonio susceptam, quia votum castitatis, quod ambo fecerunt, impedit quo minus coniuges rite matrimonio vtantur. Idem docet Glossa *in capitulo Ministri, distinct. 81. Abbas in c. charissimus de conuers. coniug.*

Cæterum hoc considerandum, & discutendum Lectori relinquo: nam si id prædicti Auctores non dixissent, videretur oppositum dicendum: quoniam proles ex huiusmodi parentibus procreata, ex matrimonio legitime nata est, quamuis parentes peccauerint in vsu matrimonij contra votum castitatis facientes. Item non est solita peti facultas vt huiusmodi filii legitimi fiant: nec vt in bonis parentum succedant: insuper parentes filios tales absque vilo conscientie scrupulo bonorum heredes relinquunt, vt ex legitimo coniugio natos, quauis vsu matrimonij sacrilego.

Si roges quid dicendum de filio nato ex coniugibus, quorum alter tantum est voto simplici castitatis obstrictus, siue ante, siue post contractum matrimonium? Respondeo in primis, si coniux qui votum castitatis non fecit contraxit matrimonium cum femina tale votum habente, ignorans tamen bona fide, eam esse huiusmodi voto alligatam, proles suscepta ex parentibus est legitima. Id colligitur ex capitulo, *ex tenore, qui filij sint legitimi*: nam si bona fides alterius coniugis facit, vt sit legitimus filius, qui ex adulterio natus est: maiori ratione erit legitima proles, quæ suscipitur ex legitimo coniugio, cum bona fide alterius coniugis ignorantis simplex votum castitatis in altero. Item si coniux, qui voto castitatis adstrictus non est sciens, & prudens contraxit, cum femina tali voto constricta, filius ex ijs parentibus progenitus, legitimus est: quia coniux, qui voto castitatis liber est, ius habet petendi debitum & alter coniux ipsi petenti soluere debitum iure cogitur: & quamuis natus esset ex coniugali complexu, in quo coniux qui castitatem voverat, debitum petiit, cum petere iure non posset, nihilominus esset legitimus, quia genuitus est ex legitimo coniugio, & sufficit, si coniux liber, & solutus omni voto castitatis, non peccat reddendo debitum alteri coniugi petenti, contra votum castitatis quo tenetur licet peccauerit contrahens cum tali coniuge, quippe consors fuit criminis, quod alter patrauit, nuptias contrahens post simplex votum castitatis, vt ait Silu. *matrimonium 7. q. 5. dicto. 6. ad finem.*

Si quæras quid dicendum est de filio nato ex viro, & femina matrimonio iunctis, sed mutuo consensu Religionem approbatam professis? Respondeo: eum non esse legitimum; quia quamuis per sollempne Religionis votum, dissolutum vinculum coniugij non sit, sacrilegus tamen est eiusmodi congressus. Sic Abbas *cap. charissimus: de conuerso coniugat.* Glossa *in c. mini d. 81. Hostien. in sum. de filiis presbyt. §. quis possit versic. quid si sacerdos.* & *allegat notas in capitulo. licet de filiis presbyt.* Vnde Antonius ibi ait: *fieri potest, vt quia nascatur ex legitimo matrimonio, & tamen non*

fit legitimus, ut in hoc casu, sic Glossator Angeli loco citato, ubi ait, idem esse iuris, si proles genita sit ex patre Religionem professio, & matre concubentiam simpliciter voluntate.

Nono quaeritur, Sitne filius naturalis, ita ut materna bona obtinere possit is, qui procreatus est ex viro coniuge, & femina omni vinculo soluta? Teste Couar. in Epitome part. 2. cap. 8. §. 5. n. 16. Paulus, Alexander, Aymon, & Socinus sentiunt, eum esse filium naturalem secundum Ius civile, eo quod talis congressus viri, & feminae nulli legis civilis poena mulctetur. l. 1. C. Adult. At Couarru. Baldum secutus, negat esse naturalem filium secundum leges, quoniam huiusmodi concubitus inter damnatos habetur, ut probant Angelus, Arcinus, Ioannes Baptista post Mathesilianum in l. Si qua illustr. §. Nouissime. C. Ad Senatus. Orfic.

Et reuera cum talis viri, & feminae complexus sit adulterinus, & vir suae uxori iniuriam irroget, lege punibilis est. l. 1. C. Ad legem Iuliam de Adult. Dubitari non potest, quin sit spurcius, non naturalis secundum Ius Canonicum, quia inter parentes matrimonium esse non poterat eo tempore, quo est conceptus, vel natus filius.

Decimo quaeritur, An filij ex seruatorum coniugij nati, sint naturales, an legitimi? Sciendum est iure civili seruos pro mortuis haberi. l. Quod attinet ff. de Regulis Iuris, ac proinde iustum matrimonium contrahere nequire. l. cum ancillis C. de Incestu nupt. & eodem iure civili iustos, ac legitimos filios non procreant: nam ab iusto matrimonio filij iusti non sunt: si autem serui matrimonium contraxerint, illud iure civili non connubium, sed contubernium, vel confortium vocatur. l. Serui C. ad legem Iuliam de Adult. & l. ult. C. de seruis fugitiuis.

Ex huiusmodi itaque seruatorum coniugij, siue confortij nati, filij naturales dicuntur secundum Ius civile, non vero legitimi. l. Lucius §. Dicitur ff. de legit. 2. & l. cum pater §. volo ff. eodem titulo, & l. ex pacto §. Si quis rogatus ff. Ad Senatus consultum Trebellianum, & ibi Barrol. Gloss. itidem in Clem. 1. de Baptismo Cardin. ibid. quest. 9. Geminianus ca. 2. de Her. in sexto.

At vero iure Pontificio iustae, & legitimae nuptiae inter seruos consistunt, ut patet ex tit. De coniugio seruo. Idem quoque statutum est iure civili Authenticorum, ut constat ex Auth. de Nupt. & l. ult. C. de Agricol. & cons. lib. 11. Quare nunc inter seruos cognationes, & successiones admittuntur.

Hoc posito quaeritur, an filij ex matrimonio seruatorum suscepti, sint legitimi, an vero naturales tantum, ut antea, censentur? Hostiensis in sum. tit. Qui filij sint legitimi, §. An utrumque genus vers. Hoc etiam nota, dicit, filios seruatorum quamuis natos ex legitimo coniugio, non esse legitimos, siue quantum ad ordines, siue quantum ad hereditates: quia cum pater eorum nihil proprium habeat, filius ei succedere non potest. Hanc Hostiensis sententiam rejicit Cardinalis Palaeotus lib. de nobis, & spuris fil. cap. 15. Eo quod si iustum est, inquit, & legitimum matrimonium, necesse est, ut filij quoque sint legitimi. Deinde filius ex seruo & libera femina progenitus ad sacros ordines promoueri potest. cap. vit. de seruis non ordinan.

Sed certe haec Hostiensis sententiam non labefactant. Nam cum ille dicat, filios seruatorum ordinari non posse, loquitur de filiis ex ancilla natis, qui secundum Canones & leges in seruitute manent, quoniam matris conditionem sequuntur. l. pactum C. de re iudic. & cap. 1. de Natis ex libero ventre. Et cum rursus dicat, filios seruatorum non succedere parentibus, verum est, quia vel nati sunt ex utroque parente seruo, & ita succedere nequeunt; tum quia parentes cum serui sint nihil proprium habent, & domino, non sibi acquirunt: tum etiam quia ipsi adhuc sunt in seruitute cum ex ancilla geniti sint, nec ordinari queunt: vel nati sunt ex patre quidem libero, sed matre ancilla, & hi, nec patri, nec matri, succedunt: quia in seruitute manent, & proinde proprium quid habere non possunt, & non sibi, sed domino acquirunt: vel nati sunt ex patre seruo, & matre libera, & hi quamvis matri succedere queant, patri tamen non

possunt, quia pater est seruus, & domino acquirunt, non sibi.

Vndecimo quaeritur, an naturales filij veniant simplici filiorum appellatione in testamentis, & vltimis voluntatibus? De hac quaestione Barrolus, & alij, l. ex facto §. Si quis rogatus ff. ad Senatus. Trebellianum, Panormitanus, Decius, & alij, in praesentia de probat. Pingamus testatorem ita dixisse Titium instituto, etsi absque filiis decesserit, Caium substituto quaeritur, An si Titius naturales tantum filios reiquerit, ij Caium substitutum excludant? Ratio dubitandi est, quia ex l. Filium §. ff. De his qui sui iuris sunt, filij naturales tantum, proprie filij non sunt. Barrolus censet non excludere Caium substitutum, quia filiorum appellatione non intelliguntur, qui sunt naturales tantum. Sic etiam Glossa in Clem. 1. de Baptismo, in verbo liberi: Glossa vero e. In praesentia de probat. tenet per filium naturalem eam substitutionem euasere: Panormitanus autem, quem alij sequuntur, distinguit. Si enim verba referuntur ad eum, qui non potest habere nisi filios naturales tantum, tunc & naturalis filius substitutum excludit, quia videtur testator de illo cogitasse. l. Heredibus §. 1. ff. Ad Trebell. Idem quoque, inquit, dicendum est, si referuntur verba ad eum, qui potest habere filios legitimos, & naturales, sed ex alijs testamenti verbis colligitur testatorem, etiam filiorum nomine comprehendere eos, qui sunt naturales tantum. Si vero id ex testamento apparere non possit, & testator erat vir in dignitate constitutus, vel nobilis, vel honestae vitae, tunc naturalis filius substitutum non excludit, quia verisimile, inquit, non est huiusmodi testatorem substituto naturalem filium praetulisse: quod si testator talis vir non fuerat, tunc per naturalem filium substitutum excluditur quia verisimile est, tali testatori non fuisse odiosos filios naturales.

Quare Panormitanus dissentit a Barrolo: putat enim in testamentis ex coniecturis esse iudicandum; an filiorum nomine intelligantur ij, qui naturales tantum sunt; & ob praedictam substitutionem & conditionem a testatore adiectam solum ex coniecturis credendum est, per filium naturalem interdum excludi substitutum, interdum minime: Barrolus vero sentit, nunquam per solum naturalem substitutionem praedictam iritam fieri, nisi contrarium ex verbis testatoris appareat.

Conueniunt autem Barrolus, Panormitanus, & ceteri omnes si femina fuerit instituta haeres supra dicta conditione: tunc quia secundum Ius commune filius naturalis matri succedit, ut dicitur in capite proximo sequenti, is substitutum excludit.

Duodecimo quaeritur, an quando testator pure & simpliciter dicit, se bona sua filiis relinquere: appellatione filiorum intelligantur etiam filij naturales tantum? Respondeo, cum Cardinali Palaeotto lib. supra citato cap. 29. distinguendum esse. Primo si cum testamentum condidit, habet filios legitimos, & praeterea naturales tantum, solum videntur vocati legitimi, & exclusi, qui sunt naturales tantum quia ex l. filium ff. de his qui sui iuris sunt, naturales tantum proprie filij non dicuntur. Secundo si tempore testamenti extiterint filij legitimi, & alij naturales tantum, & deinde ante aditam hereditatem legitimi decesserint superstitibus naturalibus tantum, non succedunt naturales, quia tempore testamenti legitimi fuerunt tantum modo vocati, & testatoris voluntas non est deinde mutata: ergo naturales solum excluduntur. Tertio, si quando testamentum fit, nulli legitimi adsunt, sed naturales tantum, deinde vero, antequam testator decessat, filios legitimos procreauit tunc etiam naturales non admittuntur, quia verisimile est, si testator id praedidisset, eum vocaturum tantum modo filios legitimos. Quarto, si tempore testamenti naturales filij extabant, & deinde testator nullos legitimos suscepit, tunc sine dubio naturales succedunt: Nam videtur testator de his filiis cogitasse, quos praeculis habebat. Quinto, si quando testamentum est factum, naturales tantum erant, deinde vero testator legitimos genuit, qui tamen ante aditam hereditatem perierit & naturales tantum superstitibus tunc naturales succedunt, quia nihil eis videtur obfuisse

legitimi, cum iam illi perierint. Sexto, Si testamenti tempore naturales tantum iaderant, sermo tamen testatoris, quo de filiis loquitur, referatur non ad praesens, sed ad futurum tempus, ut si velit filios suos in certis bonis succedere post mortem alicuius, aut eueniente aliqua conditione, tunc si & alij legitimi filij nati erunt, quando casus ille extiterit, naturales videntur exclusi, quia quoties in futurum essentium confertur oratio, tempus euenientis conditionis non dispositionis attenditur. Quod si eueniente conditione soli adhuc naturales super sint, qui & tempore testamenti nati erant, tunc illi succedunt. Vitimo, cum testator filios pure, & simpliciter nominauit, & tunc filij adhuc nati non erant, ut si Titium instituit heredem ea conditione, ut post mortem filijs suis hereditatem restitueret, & tunc nullos filios habebat, sed deinde naturales tantum non legitimos suscepit, illi succedunt, siquidem tacite intelligitur, ut filijs suis restituat, si quos habuerit, *Interdum ff. de verb. oblig. quemadmodum in l. placet ff. de liber. & posthum.* Vlpianus dicit: *Si testator bona sua reliquerit ea conditione, ut reddantur posthumis ex uxore, restituentur sunt posthumo, qui postea natus est ex uxore.*

Decimo tertio quaeritur, An si testator liberorum nomine usus fuerit, intelligantur etiam filij, qui sunt naturales tantum Panormitanus *cap. in praesentia, num. 22. de prob. & alij in l. ex facto, §. si quis rogatus, ff. ad Senat. cons. Treb. docent, liberorum appellatione nunquam naturales filios contineri eo quod liberorum nomen iuris sit, l. liberorum, ff. de verb. signifi. cum tamen filij nomen ad naturam potius referatur, l. utelas, ff. de capitis diminit.*

Decimo quarto quaeritur, An in contractibus filiorum nomen ad naturales extendatur? Finge, Titium stipulatum esse emphyteusim, aut feudum sibi & filiis: utrum naturales his verbis comprehendantur Angelus, Baldus, Decius, ut citat Card. Palaeotus in *lib. practico ca. 30.* negant comprehendere, tum quia in contractibus verba sunt certa, & proprie accipi debent, *Quicquid adstringenda, ff. de ver. obligat.* naturalis autem proprie filius non est, *l. filium ff. de his, qui sui vel alieni iuris*: tum etiam quia in dubio verba semper contra stipulantem, & contrahentem interpretantur, qui legem debuit apertius conscribere, *l. veteris, ff. de pact.* Quare si cum stipulatus est Titius, filios legitimos, & praeterea naturales habebat, non admittuntur naturales, sed tantum legitimi.

Contra hanc sententiam communem sensu Card. Palaeotus, *lib. citato c. 30. num. 2.* A communi tamen sententia non videtur recedendum, & multo minus succedunt in emphyteusi aut feudo, si tempore stipulationis Titius filios legitimos tantum habebat, & postea naturales suscepit, tunc enim manifestum est, solum esse vocatos filios iam natos, non nascituros.

Quid si cum Titius est stipulatus, filij naturales tantum modo ei nati erant, non legitimi? Respondeo, tunc admitti naturales, quia stipulatus esse videtur de filiis, quos praesentes habebat. Quid si tempore stipulationis extabant solum filij naturales, non legitimi, & postea nati sunt filij legitimi, utrum hi excludant naturales? Videntur tunc naturales exclusi, quia filiorum nomine proprie intelliguntur legitimi.

Si quaeres, An si foemina sibi, & filiis emphyteusim stipulata fuerit, intelligantur etiam naturales, tamen si legitimos habebat? Card. Palaeotus dicit utroque intelligi, sed ordine successivo, ut primi succedant legitimi, deinde vero naturales, quia utriusque secundum ius commune matri succedunt, & nihil naturales a legitimis distinguuntur.

Decimo quinto quaeritur, An si emphyteusim, vel feudum sit Ecclesiasticum, & Titius stipulatus sit sibi & filiis cum nullos filios habeat, & postea naturales tantum suscepit, illi succedant? Conueniunt omnes, ad emphyteusim Ecclesiasticam filios naturales non admitti, nisi hi fuerint expressi, quia eiusmodi filij absque peccato concipi nequeunt, *c. Meretricis 23. q. 4.* Et Ecclesia maxime ab his abhorret, *cap. vltim. de praescription.* ac proinde vecisimile non est de tali sobole eum unquam cogitasse. Difficultas in

illo consistit, an id locum habeat solum in filiis naturalibus nondum natis tempore stipulationis, an vero etiam de his qui nati iam erant? Card. Palaeotus *lib. citato c. 31.* dicit solum locum habere in filiis nondum natis: ac communis opinio est, ut nunquam stipulatio ad filios naturales protendatur.

Quid si initio emphyteusis Ecclesiastica alicui naturali pro se & filiis fuerit concessa an deinde filij eius naturales succedere queant? Baldus *m. c. Quae in Ecclesiis, de constitutionibus. n. 51.* sensit, eos succedere: sed hoc plerique confutarunt ea ratione, quia si naturalis quispiam fuerit haeres institutus, ea conditione, ut si absque liberis decesserit, hereditatem restituat, ea conditio non deficit ob filios naturales tantum, sed ob iustos, & legitimos, *l. gener. §. cum autem C. de instit. & substit. & ibi Iaf. & alij.*

Decimo sexto quaeritur, An in lege municipali, siue statuto filiorum nomine comprehendantur ij, qui sunt naturales tantum? Communis est opinio, comprehendere solum filios iustos, & legitimos, ut colligunt quidam ex Glossa in *l. Senator, & in l. liberos ff. de Senator.* Et generaliter ubique non erit expressa ratio, vel certa assignari possit, quia filius naturalis continetur in statuto, nomine filiorum iusti & legitimi intelligitur, ne a proprietate verbi recedatur? Unde statutum, quod extantibus filiis masculis feminas a successione repellit, locum tantum habet in legitimis filiis, *Tiraquel. in l. si unquam, verbo suscepit num. 48. C. de reuocam. donation.* Lex item municipalis cogens quosque suos de omnibus sibi relictis aliquid fisco soluere exceptis filiis, naturales non excipit, legitimos. Card. Palaeotus *lib. de Notis filijs c. 32. numer. 7.* Si statuto item pater filij condemnationem redimere cogatur, de iusto & legitimo filio intelligitur, non de naturali. Alexander in *l. ex facto §. si quis rogatus ff. ad Senat. cons. Trebellianum, nu. 25.* sic etiam si statuto, vel rescripto viro alicui nobili concedatur, ut ipse cum filiis intra domesticos parietes rem diuinam audire possit, solum comprehenduntur filij iusti & legitimi.

Decimo septimo quaeritur, Quando in legibus nomine filiorum veniunt etiam naturales? De hac questione Cyn. in *l. cum pater §. Volo ff. de leg. 2. Bar. in l. tunc ff. de capitis diminit.* Alexander in *l. Ex facto, §. si quis rogatus ff. ad Trebellianum, numer. 25.* Baldus in *l. Libertinum, C. de interdicto matrimonio, Panorm. & Felinus c. in praesentia, de probationibus nu. 2.* Communis est sententia, uti ex Bartolo, & Panormitano colligitur, in legibus filios eos intelligi, qui iusti sunt & legitimi. Nihilominus tamen ex verbis, aut materia subiecta, aut ratione legis aliquando comprehenduntur etiam filios naturales. Unde in lege, qua filia, cuius pater iudicariam artem exercuit, Senatortio viro nubere prohibetur, legitima tantum filia comprehenditur. Lex quae interdicat patri, ne seruos alienet in adulterio filiae, solum in filia legitima locum habet. Lex itidem, quae permittit patri inter filios duobus testibus testari, filios tantum legitimos includit.

At verò ex materia subiecta, aut ratione, aut verbis legis, aliquando naturales filii comprehenduntur, ut si lex praecipiat, ne filius liceat parentes in ius vocare sine venia, in naturalibus etiam filiis locum habet, quia ratio legis est eadem nempe, ut honor parentibus debitus deferatur. Sic etiam lex prohibet matrimonia inter parentes & filios vel inter tutorem & eius filios, & feminam, cuius tutelam gerit, comprehendit filios naturales: quia ratio legis est, vel naturalis pudor, vel fraudis suspicio.

Præterea si lege, ab officiis, publicis honoribus, & ciuitate areantur ciues laesae maiestatis rei, Patriæ proditores, exules, Haeretici, & eorum filij exclusi quoque censentur filii naturales, quoniam in his quoque eadem est ratio legis, quia filii etiam spurii paterna nequitia sunt imitatores.

Insuper permittit lex filij pro patre agere, aut e contrario. Extenditur etiam ad filios naturales propter pietatem

natura-

accusationem patris in filium, & filij in patrem. Punit lex patricidia, aut prohibet, ne filius patrem accuset: extenditur & ad filios etiam naturales, propter naturam communem. Vnde Bartolus in l. 2. C. de Accusar. recte dicit, naturalem filium posse accusare, ut patris necem vindicet, auctoritate legis, quia id indultum est. Quare si verba, aut ratio legis ad filios quoque naturales extendatur: in ea lege comprehenduntur filij non solum legitimi, sed naturales: alioqui id semper tenendum est ut filiorum appellatione in legibus semper iusti, & legitimi filij veniant, ne à proprietate verbi recedamus.

## CAP. VII.

### De hereditaria filiorum naturalium successione.

Primo quaeritur, Quomodo filij naturales succedant in bonis suorum parentum? De hac Couarruias in epitome par. 2. capitul. 8. §. 4. & Cardinalis Palaeotus, de Notis, §. Spur. filius, capitul. 38. §. 39. & Ludouicus Sardus libro de naturalibus & successione eorum part. 3. & sciendum est, quod attinet ad hereditariam filiorum naturalium successionem, esse fere confuetudine receptum, ut filij naturales potius secundum ius Pontificum, quam secundum ius civile accipiantur: ac proinde filius dicitur naturalis, qui genitus est ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel natiuitatis matrimonium subsistere poterat. Immo alicubi per statuta ciuitatum, vel populum, vel constitutiones principum decretum est, ut filius spurcius, & ex damnato concubitu natus, non naturalis habeatur, qui procreatus est ex congressu viri & feminae propter quem femina poenam mortis meretur; alioqui filius naturalis censetur, quod attinet ad succedendum in bonis matris.

In quaestione igitur praesenti illud certi iuris est, naturales filios dummodo non extent filij legitimi, vel vxor legitima, patri intestato succedere in duabus vncijs, id est, in duabus partibus bonorum, siue in sexta parte hereditatis: ex qua virilis portio matri eorum conuenit: id est, ea sexta pars diuidenda est inter ipsos, & matrem per parentes aequales. Sic in l. licet patri, C. de naturalibus liber. Authen. de trien. §. semisse, §. consideremus collat. 3. Authen. quibus modis natur. efficiantur sui §. si quis autem filios habens. Sic etiam Glossa, Abbas, & alij in capitul. Tanta. Qui filij sint legitimi, Couarruias in epitome par. 2. capitul. 8. §. 4. numero 9. Ex quo perspicitur filios naturales repelli ab hereditaria successione, si filij legitimi extent, vxor legitima. Quamuis, teste Couarruias, alicubi statuta, vel leges sint, quae filios naturales admittunt ad duas vncias in bonis patris, etiam extante legitima vxore, dummodo filij desint.

Quaerit, an excludant filios naturales ij, qui sunt facti legitimi rescripto; siue privilegio Principis? An item excludant eos hi filij, qui sunt legitimi legum beneficio, videlicet per adoptionem? Couarruias loco citato numero nono censet excludere; idque probat ex l. Licet patri, Cod. de naturalibus liberis, ubi habetur, filios naturales repelli, si extet soboles civilis, hoc est, si extent filij legitimi, siue natura, siue beneficio legis, siue indulgentia Principis. Nec obstat quod habetur in Authen. de Triente §. semisse, §. consideremus: Si quis maritus legitima sibi penitus sobole non existente filiorum dicimus, aut nepotum, aut cetera successione. & in Authen. Quibus modis naturales efficiantur sui. §. si quis autem defunctus: Si quis, inquit lex, defunctus fuerit, legitima ei omnino sobole non existente filiorum dicimus, aut nepo-

tum, vel dominus successione: Nam in his legibus legitima proles accipitur pro iusta & civili, siue pro legitima per naturam, aut privilegium.

Si item roges, an filij naturales patri succedant in duabus vncijs praedictis, si pater ascendentes habeat legitimos? Antonius Gomes in l. 9. Taurina numero 4. negat succedere: ego tamen verius existimo, per huiusmodi ascendentes legitimos ex parte patris, non excludi à duabus vncijs filios naturales: quia nullus est Actor, vel lex, cuius auctoritate, praedicta Antonii sententia comprobetur.

Secundo quaeritur, Quomodo filii naturales patri in bonis succedant ex testamento? Respondeo: Aut pater habeat filios legitimos, aut illis carens, habeat haeredes ascendentes legitimos; Aut nec filios legitimos habeat, nec ascendentes. Si habeat filios legitimos, iure non potest donare, aut relinquere ex testamento filiis naturalibus, & ipsorum matri, nisi vnam vnciam, hoc est partem duodecimam hereditatis. Quod si mater filiorum naturalium superstes sit mortuis filiis, potest relinquere illi femunciam: si vero mortua fuerit, & filij naturales superstes sint, & post matrem superstiterint, potest eis integram vnciam ex testamento relinquere: Authen. Quibus modis natur. efficiantur sui §. Ne igitur, §. l. 2. Cod. de naturalibus liberis. Haec omnia Couarruias loco citato numero 11. ex Glossa, & Alberico, & ex praed. Authen. Quibus modis natur. §. Noui igitur. Si pater habeat ascendentes carens legitimis, relinquere debet ex testamento ascendentibus etiam partem hereditatis, quae est eorum iure communi legitima portio, & reliquas partes potest donare, vel relinquere ex testamento filiis naturalibus. Vnde pater tunc potest filium naturalem haerem instituire, dummodo legitimis ascendentibus legitimam portionem debitam relinquat. Couarruias eo. in loco numero 12. & Authen. Quibus modis natur. efficiantur sui §. si vero, §. licet patri, Cod. de naturalibus liberis olim pater carens filiis legitimis, non poterat relinquere naturali filio, nisi sex vncias l. Humanitatis, §. l. vltim. Cod. de naturalibus liberis. At si neuter habeat legitimos potest filios naturales ex testamento haeredes in omnibus relinquere. Couarruias ibidem numero 11. ad finem.

Alibi tamē per statuta ciuitatum, vel populorum, vel constitutiones principum decretum est, ut pater si careat legitimis descendentibus, quamuis habeat ascendentes legitimos possit filiis, vel nepotibus naturalibus omnia sua bona, vel quatuor partem suorum bonorum voluerit ex testamento relinquere, ut ait Couarruias, eadem quem supra retuli in loco, num. 13. Quaerit etiam, An si filij legitimi consentiant, possit pater plus relinquere filio naturali? Respondet Couarruias in epitome par. 2. ca. 8. §. 4. num. 11. posse dummodo consensus ille sit expressus: nec enim tacitus sufficeret. Idque probat ex Aymone, & Bartol. vnde teste Romano in consil. 31. filio legitime aequae fraude renuncianti in bonis paternis, potest pater sua filio naturali relinquere.

Tertio quaeritur, An ortu filii naturalis renocetur donatio omnium bonorum per patrem antea facta, iuxta id quod habetur in l. Si unquam, C. De reuoc. donat. Duae sunt opinioniones: vna assentium reuocari. Ripa in l. Si unquam n. 65. §. 73. Couarruias loco supra citato n. 14. Altera est eorum, qui negat reuocari. Oldr. ad consil. 278. Baldum cap. Innotuit n. 8. de Elect. §. consil. 129. Tiraquel. in l. Si unquam in verbo suscept. nu. 45. §. 51. Hanc sententiam probat multis argumentis. Card. Palaeot. in lib. de Notis fil. cap. 34.

Quicquid sit videtur mihi dicendum: Pro qua pater naturales filii ad successionem ab intestato vocantur, pro eadem etiam donationem à patre factam eos reuocare posse videlicet quod attinet ad duas vncias, & concedit etiam Cardinalis Palaeot. cap. citato nu. 8. At si mater suorum bonorum donationem fecerit, & postea filium naturalem susceperit, is poterit in totum donationem reuocare: quia